



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 23. De ijs quæ fecit quinta die.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXIII.
DE IIS, QVAE FECIT
Deus diē quinta.

PUNCTVM I.

a Gen. 1. 20.



IXIT DEVS, *producant a*
qua reptile anima viuentis, &
volatile super terram, sub firmamento caeli.

Pisces.

PERPENDENDVM primò,
quod Deus Dominus noster,

I.

Medit. 21.
princ. 3.

voluerit hac die 5. maria & flumina exornari
magna in eis habitantium copia, multorum &
magnorum scilicet piscium, ad ostendendam
suam Omnipotentiam & prouidentiam in v-
tilitatem hominum. In quo *primùm* perpendã
quòd Deus Dominus noster voluerit, aquas
habere suam cooperationem in formãdis pi-
scibus, qui essent in ea victuri; sicut terra fuit
particeps formationis plantarum, propter ra-
tionem ibi allatam. Quare in virtute illius
verbi, *producant aqua;* omnia maria & flumi-
na maiora, materiã præbuerunt, ex qua Deus
pisces formauit, qui in aquis versarentur.

II.

b Gen. 2. 21.

DEINDE ingentem fecit copiam piscium, cum
magna varietate specierum, figurarũ, & pro-
prietatum, & inter alios b *creauit Deus Cete*
grandia, & alios ingentis magnitudinis, sine
comparatione maiores quam sint animalia
terra

terræ, quibus omnibus dedit suas squamas, pinnas, & alia membra apta ad natandum magnaque facilitate ac celeritate discurrendum per spatiosum mare, & omnes finus eius.

TERTIÒ benedixit illis dicēs, *crescite & multiplicamini, & replete aquas maris.* & quoniam Dei benedictio est efficax, cùm illis benedixit, simul virtutem dedit ad generandos sibi similes in maxima copia, quæ superat incomparabiliter aues & animalia terrestria. De illis enim dixit David *cillicreptilia, quorum non est numerus.* & cùm sint tot, omnibus tamē c Psal. 103. 23. providentia sua prouidet alimenta conuenientia intra ipsum mare, quod instar matris illos alit ac nutrit, & veluti gestat in utero suo. Ex hac benedictione, (quæ omnium est prima) qua Deus piscibus benedixit, adeoq; foecundos illos reddidit, apparet, quàm sit efficax & copiosa Dei benedictio in suis creaturis, præcipuè verò in hominibus.

III.

DENIQVE hanc piscium multitudinem fecit Deus in bonum & utilitatem hominis, quæ fecit ut d *præesset piscibus maris;* cui etiam artem dedit & industriam ad eos piscandos, quos *omnes subiecit pedibus eius,* non solum paruos sed etiam magnos, & post diluuium dixit Deus Noe & filijs eius *omnes pisces maris, manus vestrae traditi sunt, eruntque vobis in cibum,* & in delicias aliasque magnas utilitates. His considerationibus excitabor ad glorificandum Creatorem, admirans non so-

IV.

d Gen. 1. 26.

c Psal. 8. 9.

c Iacob. 3. 7

f Geo. 9. 2.

g Psal. 103.
24.

lum eius Omnipotentiam, quā ostendit facies
in momento & solo verbo tantam creaturarū
multitudinem & earum molem; sed etiam pa-
ternam providentiā, quā erga nos ostendit, re-
plens maria & flumina tot & delicatis adeo
piscibus, ad nostrum nutrimentum ac delecta-
tionem: ut dicere liceat cum Davide, *g Quam
magnificata sunt opera tua Domine! omnia in
sapiētia fecisti: impleta est terra possessione tua,
& rebus quas condidisti. hoc mare magnum &
spatiosum manibus, plēnū est reptilibus, quorum
non est numerus, animalia pusilla cū magnis illic
habitant, Draco iste siue Cetus, quē formasti,
oēs discurrunt ac ludunt per illud in quo ma-
iores capientes minores ad sustentationem &
alimentum; sed & homines ex diuina tua pro-
videntia, nauibus illic pertransunt, deambulant,
ludunt & piscatione horū & illorum piscium
in escam & solatiū suum oblectantur. O glo-
ria mea, effunde super me copiosam bene-
dictionem tuam, ut te laudem ac tibi ser-
uiam propter innumera bona, quæ cum illa
nobis largiris, sint lusus mei, te diligere ac de-
licia mea, tibi seruire; solatium meum, qui
cari in mari huius mundi animas multas, pro
tuo seruitio se addicant & mancipent in lo-
cula. Amen.*

PUNCTVM II.

Aucs.

DEINDE considerandum est, quod Deus
Dominus noster, hoc ipso die aere munit
ornauerit, producens ex aqua magnum

auium multitudinem, & specierum diuersarū. Vbi *primum* perpendendum est, quod Omnipotentia Dei ad creandas aues, vltima fuerit aqua tanquam materia, præcipuè subtiliori, quæ in vaporibus ac nubibus continetur; vt aer quoque concurreret, ad formationem eorum, quæ ipsi ornamentum erant allatura. Et ita in diuersis mundi regionibus creauit auium multitudinem; in singulis eas, quæ iuxta suas qualitates melius possent conseruari: omnibus autem benedixit, sicut piscibus, vt multiplicarentur, & sua prouidentia dedit omnibus conueniens alimentum, quibusdam in ipsa terra, aliis in aere, aliis denique in aqua natantibus, in quem finem, & alas, & rostra, & ungues apta & proportionata dedit.

DEINDE perpendam huius beneficii magnitudinem; discurrens per ea bona, quæ illud complectitur. nam quædam aues suis carnibus delicatè nos nutriunt, aliæ dulci suo concenū recreant, aliæ plumis suis ornant; aliæ etiam docent, quid facere debeamus, industria sua in construendis nidis, nutriendis pullis, obseruanda temporum mutatione, & aliis modis; à quibus multas similitudines accipit DEVS, ad nos instruendos. nam interdum se comparat a *Aquila* *pro-* uocanti ad volandum pullos suos, interdum b *gallina*, suos congreganti sub alas: interdum nostram ignorantiam condēnat, dicens: *c miluus cognouit in cælo tempus suum, turtur, & hirundo*

I.

S. Aug. de
Gen. ad li-
teram c. 3.
S. Thom. 1.
p. q. 71. a. 3.

II.

a Deut. 32.

21.

b Matt. 23.

37.

c Iere. 8. 7.

III.

*& Ciconia custodierunt tempus aduentus sui:
Populus aut meus non cognouit iudicium Domini.*

d *Eccl. 11. 3.*

DENIQUE omnis animi opera, cum suis omnibus professionibus & industriis dirigatur in oblectationem & utilitatem nostram, nam aliquibus earum, alias venamur, has dimittendo in aerem, ut illas capiant, nosque recreat, qui obseruamus, qua astutia & sagacitate praedantur capiunt: sibique subiiciant: ipsa etiam *dapis breuis* (ut ait Sapiens) *in volatilibus est, & initium dulcoris habet fructus illius* ad delicias hominum, unde etiam cera, ex qua fiunt candelae; & aliae multae res magnae utilitatis: pro quibus omnibus magnas gratias debemus Creatori & benefactori nostro, agnoscentes in auium domesticis, in siluestribus, in ouis, calamis, & plumis, & in reliquis earum spoliis paternam Dei prouidentiam, quae tot delicias & solatia pro suis filiis prouidit. O Pater dulcissime & amantissime, qui tuam charitatem, & misericordiam, & admirandam maximamque prouidentiam in auium adumbrasti, quas hoc die condidisti; eandem quae in me liberaliter ostende, sollicitum me reddes in tuo obsequio, sicut tu fuisti prouidus in variis mihi deliciis prouidendis. Sint mihi aues Magistrae ut ex eis discam summo diluculo laudes tuas cantare; sint & motiua virtutum, ut uolem celeriter in rebus tui seruitii & renunciem superfluis corporis deliciis, quas propter earum renuntiationem sentiam in meo spiritu. Amen.

P.V.

PVNCTVM III.

TERTIO est considerandum, quod Deus Dominus noster, videns quidquid hoc die fecisset, totum approbauerit, quia totum erat perfectissimum, & fini in quem illud destinauerat, omnino conueniens.

I.

NOMINATIM autem est perpendendum, fuisse valde conueniens, vt eodem die aqua exornaretur & aer; quia haec duo sunt inter se symbola valdeque affinia, praecipue aqua & aeris regio illi propinqua, in qua sunt vapores & aqua nubium: quo nobis significatur, Deum Dominum nostrum delectari benefaciendo ijs, qui ita sibi inuicem coniunguntur, & mutuo se iuuant. facit enim illos pares in gratiis & fauoribus suis, sicut illi pares sunt & charitate coniuncti. Sed eleuato tamen altius spiritu, perpendam quod dicit Ecclesia in hymno vespertinum huius feriae, *qui ex aquis, partim leuas in gurgiti, partim leuas in aera*; significans, eos, qui Baptismi aqua sunt regenerati, in duas vivendi rationes distribui: quosdam enim manere seculares, alios fieri Religiosos; quosdam sequi vitam actiuam, qui per pisces significantur, eod quod in mari huius mundi occupentur in operibus virtutum, sed miscendo tamen aliqua negotia & curas seculares: alios vero vitam sequi contemplatiuam, qui significantur per aues, vt qui alis contemplationis a terrenis

Vita actiua & Contemplatiua.

f 5 volent

III.
entus sui:
i Domini.
um suis o-
dirigitur
ram, nam
s dimittit
creat, qui
te praed a
d apu bre-
& initium
s hominu,
elz; & aliq
ibus om.
reatori &
auibus do-
alams, &
s paternam
s & solatia
aliffime &
& misericor-
m; promi-
uas hoc die
deraliter o-
obsequio,
ihni delicia
gistra vt ex
tuas cantu-
lem celerem
iem super
pter earum
spiritu. A

P.V.N.

volent ad cœlestia, habeantque suam conuersionem in cœlis.

II.

Luc. 10. 40

Introducť.
3. & 5. par-
tis.

PRIMI sequuntur partem Marthe, cui dixit Christus Dominus, *a salicita es, & turbata erga plurima*, eò quòd huiusmodi viuunt in mari tempestuoso & turbato huius mundi, quia multa in eo sunt, quæ nos turbant, animasq; nostras reddunt inquietas. Alij Maris sororis eius rationem amplectuntur, quæ melior est pars; quia fruuntur quiete, sicut illi qui eleuatur à terrenis, & super seipos, vt se Deo cõiungant. & hoc est illud *vnun necessarium*, ad quod reliqua omnia dirigi debet, sicut suo loco est dictum. Vtriq; quidẽ sunt boni, quia vtrumque statum fecit Deus, & verumq; sanctificauit aqua Baptismi, & lauat aqua penitentia & lachrymarum; ideoque de vtroque intelligitur quod scriptura dicit; *vidit Dominus quod esset bonum*, sed cum aliquo discrimine, nam pisces producti sunt ex aquis terrestribus, quæ in mari sunt amaræ; ideoque exercitia penitentia & lachrymarum, in secularibus & actiuis admixtum habent dolorem & amaritudinem cordis, ob culpas in quas sunt lapsi, & præ imbecillitate sua labuntur: lachrymae verò Religiosorum & contemplantium sunt aqua dulcēs & delicatæ, sicut vapores condenses, ex quibus factæ sunt aues. Sunt enim lachrymae amoris & deuotionis, expressæ desiderijs & suspirijs vniendi se cum Deo.

III.

PRAETEREA quamuis eodem die

fuerint pisces & aues, prius tamen refertur
 piscium formatio, qui sunt imperfecti; & po-
 stea auium, quæ in naturali suo Esse maiorem
 habent perfectionem. nam hic est mos DE I
 Domini nostri, vt ab imperfecto ascendat
 ad perfectum, ad significandum, actiuam
 vitam esse priorem contemplatiuâ, & prius
 nos debere exerceri in descendis amare no-
 stris peccatis, quàm ascendamus ad dulce-
 dinem contemplationis: sicut b *Lia* prior
 fuit quàm *Rachel*, & Iacob prius duxit *a Gen. 29. 16*
Liam & postea *Rachelem*; nam ab actiua
 vita, quæ est imperfecta, ascenditur ad
 contemplatiuam, quæ est perfectior & me-
 lior.

DENIQUE benedixit DEVS piscibus
 & auibus, dans illis virtutem ad se multi-
 plicandum; vt significet se vtrique horum iu-
 storu generi copiosam benedictionem imperti-
 ri, vt generent ac multiplicent multitudinem
 bonorum operum, quæ sunt fructus ventris
 ipsorum; generent etiam filios spirituales,
 auerando multas animas Deo, Et sicut v.
 numquodque generat sibi simile, ita etiam
 inclinatur illud ad exercitia suarum virtu-
 tum: quamuis pisces quidem sint auibus
 fecundiores; ad significandum quod vita
 actiua est sicut *Lia*, *Rachele* foecundior, gi-
 gnatque plures filios spirituales Christo,
 quàm contemplatiua: sed hoc de ea vita a-
 ctiva est intelligendum, quæ in suo gene-
 re est perfecta, datque partem aliquam etiam

IV.

CON-

contemplationi, ex qua haurit quid debeat alios docere, & quid prædicare: sed & ipsa contemplatiua est foecunda, sicut aues; & generat filios licet paucos, perfectos tamen, sicut illi Rachelis sunt.

CONSIDERANS hæc omnia, animabo me ipsum ad exercitia vtriusque huius vitæ; coniungendo illa in eodem die, sicut Deus coniunxit creationem duarum itarum rerum in eodem die; petamque demissè gratiam & auxilium ad id præstandum. O Creator rerum omnium, qui in hoc die quinto, has duas creaturas condidisti, quæ has duas vitas referunt, ad vitam & sustentationem hominum; supplex oro, vt quotidie concedas animæ meæ partem actionis, & contemplationis, ad eam ita conseruandam & sustentandam, vt ex tua misericordia obtineam æternam, in qua laudem & glorificem te in æternum, Amen.

(:)

